266.



S. FRANCESCO D' ASSISI

Per Fra. Scafa

DIVO FRANCISCO ASSISIENSI

MORTALIUM. APUD. SE. MINIMO. APUD. OMNES. MAXIMO.
PATRI BENEMERENTISSIMO. AC. PATRONO MUNIFICENTISSIMO.
QUOD. OLIM.
LATERANENSEM. ECCLESIAM. CONLABANTEM.
VISUS. FUIT. HUMERIS. SUSTENTARE.
QUOD. MOX.
MERIDIANO. VIRTUTUM. PRAECLARISSIMARUM. SPLENDORE.
MIRA. SERAPHICI. ORDINIS. INSTITUTIONE.
FIDEIQUE. DILATANDAE. SUIQUE. SANGUINIS.
PRO. EA. PROFUNDENDI
AMORE. SUMMO. REAPSE. SUSTENTARIT.
DIFFICILLIMIS. ECCLESIAE. TEMPORIBUS.
EJUS. ALUMNI.

PP. FRANCISCUS. XAVERIUS. A NEAPOLI.
ET. ALOYSIUS. A. GRUMO.

IN HOC. NEAPOLITANO. S. MARIAE. NOVAE. GENERALI. LYCEO.
SACRAE. FACULTATIS. AUDITORES.
THEOLOGICAS. DE. MORE. THESES. PROPUGNATURI.
TERRICOLIS, MAECENATIBUS. POSTHABITIS.
COELESTI. RELIGIONIS. VINDICI. ATQUE. ASSERTORI. ACERRIMO.
VENERABUNDI.
D. D. D.

EX TRACTATU

DE GRATIA CHRISTI

SELECTAE PROPOSITIONES

PARS I.

De Gratia Actuali.

I.

Homo naturae viribus post Adae lapsum adeo est imbecillis, ut ad vitam aeternam assequendam nullum opus meritorium efficere valeat, nisi Divina gratia interiori praemotus, atque adjutus.

II.

Qui quidem ad adipiscendas omnes veritates etiam naturales, ad servandam legem naturalem universam, necnon ad superandas omnes tentationes saltem graviores imparem se omnino dignoscat, necesse est.

III.

Ad initium vero fidei, aut operis supernaturalis multo magis haeret, nisi excitetur, ac promoveatur divina gratia tam praeveniente, quam concomitante.

IV.

Non idcirco tamen existimes velim liberum hominis arbitrium peccato originis penitus concidisse. Illud enim Lutherani, Calvinianique systematis fundamentum evertendum aggredimur, ut ebriosarum mentium nocturnum commentum.

V.

Quod autem statuebat Bajus, *omnia infidelium opera esse peccata*, destruit omnino moralitatem naturalem, et consequenter humanam naturam pessundat, ac si foret impos ad opus peragendum naturaliter honestum.

VI.

Quinimo infidelis homo, aut peccator etsi destitutus gratia *sanctificante*, si fuerit corroboratus gratia Christi *actuali* poterit opera moraliter bona perficere etiam in ordine supernaturali.

VII.

Quae profecto actualis gratia adeo *gratis datur*, ut neque de condigno, neque de congruo suis naturae viribus possit homo aliquando illam promereri.

VIII.

Hujusque equidem gratiae efficacitatem a divina utique motione repetendam assevero, sed non ita independenter

ab humana voluntate, *quasi non possit dissentire si velit* : juxta Tridentinum Sess. VI. Can. IV.

IX.

Ejusmodi vero efficacitatem cum Janseniani repeterent ab delectatione relative victrici, humanam libertatem labefactarunt, turbasque in Ecclesia Dei truculentas concitarunt.

X.

Ut demum Deo tantum decoris attribuamus, quantum invidiae Jansenistae attribuerunt, heic propugnamus Deum O. Max. omnibus justis suam gratiam vere sufficientem largiri, qua fiat, ut vel, urgente praecepto, legis mandata servent, vel majus quo egent precibus impetrent auxilium.

XI.

Quam insuper gratiam vere sufficientem non modo fidelibus passim peccatoribus, ut si velint, possint a peccatis resipiscere, assignamus; verum etiam ipsis infidelibus negativis, et peccatoribus obduratis ex Divina bonitate probabiliter concedimus, ut si velint, possint salvari.

PARS II.

De Gratia habituali.

XII.

Fides, quae est initium justificationis, non est jam fiducia in Dei promissis, ut somniarunt Novatores; sed Mysteriorum notitia, ac firmus assensus doctrinae divinitus revelatae, uti Catholica tenet Ecclesia.

XIII.

Neque sola fides satis est ad hominem justificandum, cum aliae necessariae sint animi dispositiones.

XIV.

Justificatio enim hominis nequaquam fit per solam exteriorem imputationem justitiae Christi, sed per veram praesertim interiorem renovationem, ac charitatem, quae per *Spiritum S. diffunditur in cordibus nostris*, nobisque, quoad amittatur, inhaeret.

XV.

De qua justificatione nemo potest certior fieri, nisi speciali revelatione; neque tenetur fide divina credere, se esse justificatum.

XVI.

Justitia denique non est in omnibus adultis aequalis, nec semper eadem; quinimo potest penitus amitti per quodcumque grave peccatum.

PARS III.

De Merito.

XVII.

Justi per bona opera vere merentur gratiae augmentum, gloriam aeternam, ejusque gloriae gradus elatiores, si in eadem gratia decesserint.

XVIII.

Sed conditiones ex parte hominis pro merito necessariae sunt, ut sit viator, atque in gratia sanctificante sit constitutus.

XIX.

Nullum hominis opus potest esse meritorium pro statu supernaturali, nisi sit liberum a necessitate; sit bonum, et honestum; et sit quoque supernaturale ratione principii, et finis.

Quod hominis opus, ut sit meritorium pro statu supernaturali, necessario requiritur Dei repromissio.

Publica de his fiet Disputatio in Ecclesia S. Mariae Novae Neapolis FF. MM. OO. Anno 1850. Mense Decembri Die 6,, Hora 21 ½

Objecta excipient, et diluent qui supra; Cathedram vero moderabuntur AA. VV. PP. Angelus a Caserta, et Franciscus a Marzano Sacrae Theologiae Lectores Generales.

Datur cuilibet a tertio objiciendi facultas.